

ceret, quodam tempore cum aliis episcopis in regiam venit, ut Arcadio ejus filio, recens imperatori designato, gratularetur. Reliqui episcopi imperatori primo, deinde et filio Arcadio gratulantur. Solus Amphilochius Theodosium salutabat, neglecto filio. Id quod cum Theodosius oblivione eum facere arbitraretur, monuit eum, ut filium quoque salutaret. Respondet Amphilochius, satis esse, quod honorem habuisset ei, tamquam patri. Theodosius indignatus, eum expelli jubet. Tunc ergo Amphilochius: « Siccine, imperator, graviter fers contemptum filii tui? Revoca tibi in mentem, quæso, odisse et Deum eos, qui per blasphemiam honoris aliquid adimunt unigenito suo Filio. » Hanc senis episcopi prudentem libertatem miratus imperator, edictum illico conscribit, ut ex urbibus Ariani (qui Christum verum Deum esse negabant) ejicerentur, Theodoretus, lib. V. c. XVI. et Cedrenus.

Sed quid miramur fecisse hoc pontificem christianum pro Christi gloria tuenda, quando etiam ethnicus pontifex, pro fictitiæ deæ simulacro servando, incendium perrupit? Is fuit Metellus pontifex, qui, Vestali de fortuito igni flagrante, per medias flammæ Palladium incendio subtrahit. Cessit illi audax conatus prospere, nam deæ simulacrum servavit: sed felicius cessisset, si visum non amisisset. Fuit tamen clades illa religiosæ mentis et immodicæ charitatis in deam, testis locupletissima, fuit et ornamento; datum est enim ei a Romanis tantæ pietatis admiratoribus, ut curru veheretur in curiam: qui honor nulli ejus ordinis ad id tempus contigerat, Sab. lib. V. cap. I. et Plinius, lib. VII. cap. XLIII.

Ece deorum inanium sacerdos per medios ignes ruit, ut ligneum deæ truncum subtrahat. Quis ex nobis Christianis hoc pro Deo vero et immortalis tuendo aget? Ubi zeli nostri ignis, qui per ignem penetrare ad Dei honorem tuendum audeat? Confundit etiam nos rusticanus puer, David; qui audiens Goliathum incircumcisum exprobare nomini Dei Israel, zelo Dei repletus, ad certamen prosiliit ineundum cum Philisthæo, et vindicandam Dei gloriam. Quam sæpe enim audimus blasphemari nomen Dei non ab infideli nec giganteo homine, sed a Christiano et vili sæpe homuncione, nec tamen facile reperitur qui se moveat ad corrigendum vel dehortandum illum, nedum ad pugnandum pro Dei gloria.

Secundo, quando agitur de fide et Ecclesia tuenda. Docent hoc vel apiculæ, quæ pro suis domiciliis contra violentos invasores spiculis suis usque ad mortem pugnant; adeoque animas ponunt (refert Bercorius, l. X. reduct. cap. VI.) neque ea facile tangi patiuntur. Cur non pugnant

Christiani pro Ecclesia sua, tanto mellis et cere thesauro referta? Certe Judæi, quando Caius imperator Jovis simulacrum in templo Jerosolymitano collocavit, adeo id senserunt, ut cedere potius urbibus et omnibus suis possessionibus malent, quam eam abominationem cernere. Unde dicebant: *Id si non impetramus, necandos nos præbimus, ne videamus vivi, quod est morte gravius.* Refert Philo, l. de legat. ad Caium. Quanto pluris est Ecclesia catholica, quam templum illud Judæorum! Nullum ergo idolum, nullam hæresim inferri in eam patiamur. Talis in veteri lege zelotes Ecclesiæ Dei fuit Elias, qui: *Surrexit quasi ignis, Ecclesiastici XLVIII.* suoque ardore ac zelo extinxit idololatriam per Salomonem invectam, et per Jeroboamum inter Judæos propagatam. In nova S. Ambrosius, qui pro Ecclesia Dei murum se opposuit, tam contra gentiles et senatum Romanum petentem ab imperatore, ut aram Victoria destructam restaurare posset; quam contra hæreticos Arianos, etiam impp. et principes, Ecclesiam ipsius invadere conantes, et vasa sacra repetentes; paratus mille mortes pati potius, quam ea concedere, apud Baron. anno 536. et alibi. Talis S. Chrysostomus, S. Thomas Cantuariensis et alii, exilia et supplicia, pro tutanda Ecclesia ejusque juribus, perferentes.

Tertio, quando de animarum lucro et ereptione e demonum laqueis agitur. De quo S. Bernardus, serm. in nativ. Joannis Bapt. ait: « Ferveat in nobis zelus, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo vitia palpet, peccata dissimulet meno, nemo dicat: Numquid custos fratris mei sum ego, etc? » Et Sanctus Augustinus, tract. X. in Joan. « Unumquemque Christianum, inquit, zelus Dei comedat, v. g. vides fratrem currere ad theatrum, prohibe, mone, contristare, si zelus Dei comedit te: vides alios currere et inebriari velle, etc. prohibe quibus petes, terre quos potes, quibus potes blandire, nol' quiescere. » Et S. Bonaventura, in pharetra divini amoris, p. II. c. I. « Quomodo potest quis dicere se Deum diligere, et ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt jacere in sterquilinio et non curat? Aut si cogitat quod Filius Dei pro animabus redimendis mortuus est, quomodo et ipse pro animabus mori non cupit, etc? » Et infra: « Quomodo credis te sponsi amicitiam habere, qui ejus sponsam ab adulterio non custodis, aut eam festinanter ad sponsum non reducis? » Fuit hæc in re igneus plane zelotes Sanctus Paulus, qui dixit: *Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis*, ad Roman. IX. fuit talis et S. Cyprianus, qui imminente sibi martyrio, optabat inter prædicandum necari, in vita 14 sept. talis S. Gregorius Nazian-

CONCIO IV.

OBEDIENTIA QUIBUS MAXIME COMMENDATA ESSE DEBEAT.

I. Subditis erga superiores. — II. Uxoribus erga maritos suos. — III. Liberis erga parentes. — IV. Servis erga heros suos. — V. Omnibus Christianis erga Ecclesiam.

THEMA.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum.
Joan. XV.

Mirum quid de delphinis scribit Plinius, libro IX. capite VIII. mire delectari eos nomine *Simonis*; id enim agnoscere, et gaudere hac appellatione, eoque nomine a piscatoribus evocari ad littus, capi et mactari. Gellius, apud Aldrov. lib. I. de cetis, id se expertum asserit, cumque apud Antipolim, urbem provincie Narbonensis, navigaret, et delphinum vel longinquo intervallo contenta voce *Simonem* appellaret, confestim prope accessisse, ut manibus attingere posset.

Ece ad nomen *Simonis* veniunt et obediunt pisces, qui nesciunt quid hoc nomen sibi velit. Quid si intelligerent nomen *Simonis* significare *obedientem*? Quid si nossent obedientiæ bonæ ac præmiæ? Nos ergo, qui id scimus, multo magis *Simones* esse et appellari decet: ita ut de nobis S. Simon dicere queat id hodierni evangelii, licet meliore sensu: *Hæc omnia* (quæ scilicet imperantur) *facient propter nomen meum.* Ac licet omnibus Christianis nomen hoc convenire debeat, speciali tamen jure convenit:

I. Subditis. Sint hi Simones suo magistratui. Ita enim mandat S. Paulus ad Hebr. XIII. *Obedite præpositis vestris et subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi; ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Quem in locum audiamus S. Chrysostomum, homil. XXXIV. sic perorantem: « Malum quidem est, ubi est nullus principatus, et multarum cladum, hæc res existit occasio et confessionis est turbationumque principium. Sicut enim si ex choro ipsum coryphæum auferas, nequaquam modulatus chorus vel ordinatus existit; et phalanx militum, si ducem non habeat, nullo modo numero acies illa vel ordine procedit; et navis, si gubernatore privetur, pessum est necesse est: sic et gregi si pastorem abstuleris, cunctus dispergetur et peribit. Malum igitur est, ubi nullus est principatus; subversionis quippe hoc est argumentum. Malum autem est non minus et inobediencia eorum, qui reguntur a principe: idem malum quippe con-

zenus, qui contubernalem suum Basilium, rhetoricam docentem, de doctoris cathedra detraxit, et in monasterium suum injecta manu perduxit, teste Ruffino, l. II. c. IX. idem postea fecit Basilium præceptori suo Eubulo, abducendo eum non modo a gentilismo ad christianismum, sed etiam ad rerum omnium abdicationem, et ambo tendentes Jerosolymam, converterunt gentium multitudinem, ut Amphilochius, in vita S. Basilii refert: talis S. Bernardus Sennensis, qui cum suis concionibus acriter ætia perstringeret, principis Mediolanensium animum offendit, ut is mala morte se eum perditurum minaretur, nisi stylum dicendi mutaret. At vir sanctus tantum abfuit, ut illius minis cederet, ut etiam infracto animo ipsum ducem in magna populi frequentia horrendo verborum tonitruo ita fregerit, ut ne minimam quidem molestiam ab eo pateretur, ut in ejus vita, 20. maii, Lipel.

Quarto, quando de salute propria tuenda vel paranda res est. Tunc enim ignem spirare et in adversarios ejaculari oportet, omniaque sternere, perrumpere et exurere. Cujus rei specimen nobis exhibuit Christus Dominus, quando Petro passionem sibi dissuadenti dixit: *Vade post me, Satana; scandalum es mihi*, Matth. XVI. Satan adversarium significat, qualem se hic Christo Petrus exhibuit, non intelligens ipsius et Patris ejus voluntatem. Eodem sensu et zelo B. Petrus Damiani cardinalem, Hildebrandum (qui postea pontifex factus, Gregorius VII. appellatus) suum *Satanam* vocavit; quia ipsi adversabatur, cardinalatui renuntiaret, ut ad suam eremum Camaldulensem rediret, lib. I. epist. XVI. ad Alex. XI. Pp. Sic beata Agnes juveni nobilissimo eam precanti: « Discede, inquit, a me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis, quia jam ab altero amatore præventa sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, longe te nobilior et genere et dignitate, etc. » Ex Ambrosio, apud Sur. 20. jan.

Ad extremum, nemini dubium esse potest, tales zelotes fuisse Simonem et Judam; qui utique, nisi pro Dei gloria, Christi fide disseminanda, Ecclesia propaganda, propriæ salute comparanda strenue et ardentem dimicassent, seque contra impios gentiles murum opposuissent, diræ mortis supplicii enecti non fuissent. Non solet odisse et torquere mundus nisi eos, qui sibi adversantur et vitia reprehendunt. Quod cum maximo zelo fecisse hos apostolos indicat utriusque martyrium sane peracerbum, quod vulgo existimatur, serra S. Simonis et clava S. Judæ. Quorum zelum nos, si pro fragilitate nostra non possumus adæquare, saltem demus operam ut æmulemur, et pro viribus imitemur.

tingit. Populus enim, si non obsequitur principi, similis est populo principem non habenti; imo et deterior. Illi quidem saltem veniam habent ejus, quod indisposite atque inordinate versantur, siquidem ordinatore privati sunt: hi autem veniam non merentur, quinetiam puniuntur: et infra: «Gemitus illius (præpositi) omni erit ultione deterior. Quando enim ipse nihil proficit, ingemiscens invocat Dominum. Et sicut, cum doctor aut nutritius contemnitur, vocatur qui severius aggreditur puerum: sic etiam hic, papæ quantum periculum!» Ita sanctus ille doctor. «Gens (inquit Nicetas) Chasiorum suos principes ita vereri et observare, atque jussis eorum exequendis adeo alacris esse dicitur, ut si tantum supercilio magistratus innuerit, statim derupibus se præcipitent, in enses irruant, in undas desiliant, in ignem se conjiciant, ad hostes missi eos occidant, nulla habita ratione supplicii.» Non tam multum petitur a Christianis, qui faciliorem multo obedientiam, non pro vana et terrena, sed vera et cælesti gloria præstare jubentur; ea cautione, ut magistratus pro eis rationem reddere teneantur; non ipsi pro se. Quis non obedire et subesse quam præesse malit tali conditione?

II. Uxoribus. Hæ sint Simones viris suis. Ita enim mandat S. Petrus, ep. I. cap. III. *Mulieres subditæ sint viris suis*: et S. Paulus ad Coloss. III. *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino.* Neque illi hoc ex se, sed ex Dei ordinatione, qui Evam Adamo, et in Eva omnes feminas viris suis subjecit, dicens: *Sub viri potestate eris*, Hebr. *ad virum recursus tuus*, Septuag. *ad virum conversio tua.* Quin et Cato, apud Livium, lib. XXXIV. *Majores nostri*, ait, *nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum*: et Aristoteles, lib. I. æcon. cap. I. vult mores viri legem esse vitæ uxoris. Sicut ergo servus, priusquam disponat aliquid in rebus domini sui, recurrit ad dominum et voluntatem ejus exquirat; et sicut pictor, antequam penicillum sic vel sic ducat, inspiciat exemplar; sic agat et uxor cum marito suo, alioquin perdet suavem harmoniam et pacem inter ipsam et virum, juxta id Ecclesiastici XXV. *Mulier, si primatum teneat, contraria est viro suo*, id est, rebellis, Hebr. si choram ducat, perdet cantum. Debet ergo vir choragus esse, et ipsa velut succentrix ad mensuram et tactum viri interim attendere.

Vicissim si viro se obsequentem exhibeat, tunc quasi domina imperabit, teste Seneca dicente: *Casta ad virum matrona parendo imperat.* Ratio, quia accommodando se voluntati viri, facile de-

vinciet sibi ejus voluntatem. Ita Sara, quia virum suum Abraham appellavit *dominum suum*, ut patet, Gen. XVIII. vicissim ab ea appellata est *Sarai*, id est, *domina mea*, Gen. XVII. idque tam apud Hebræos, quam apud Græcos et Latinos olim moris erat: quidni igitur sit etiam apud Germanos? Archippa viro suo Themistocli adeo se ad omnia ejus obsequia et imperia accommodabat, ut vicissim ipse prudentissimus princeps in omnibus pene ejus voluntati obsequeretur; unde Græcorum jocus ortus: *Archippam dominari Themistocli, Themistoclem Atheniensibus, Athenienses Græcis, Græcos orbi; sicque Archippam imperatricem orbis esse*, ad Plut.

III. Filius et filiabus. Simones etiam isti esse respectu parentum debent. Ita edicit Paulus ad Ephes. VI. *Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est. Honora patrem et matrem, etc. In Domino, hoc est, Domini amore et reverentia, qui præcepit nobis honorare patrem et matrem, et in ipsis Deum intueri, velut in genitoribus nostris.* Recte Deuteronomii XXV. Ruth IV. et alibi dicuntur parentes ædificare domum suam, quia sunt quasi fabri liberorum, teste Plauto, in Mostellaria. Ergo sicut lapides et ligna, ex quibus fieri domus debet, architecto subijci debent, et pati tensiones, sectiones, dedolationes, alioquin domus aut non fiet, aut non stabit diu; ita filii in manibus parentum versari se patientur, nisi domum paternam subruere velint. Unde forsitan mandavit Deus filios immorigeros ac protervos obrui lapidibus, Deuteronomii XXI. quod lapidibus, qui se in omnem figuram effingi patiuntur duriores essent. Bonus et tractabilis lapis inter alios fuit Joseph, qui vocatus a patre, ut iret ad fratres suos: *Præsto sum*, ait tametsi sciret se odio haberi a fratribus, Genesis XXVII. Sit hæc eadem vox in ore liberorum, quoties vocantur a parentibus: *Præsto sum*.

IV. Servis. Sint hi Simones dominis suis. Ita enim jubet apostolus ad Coloss. III. *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus*: rursus ad Eph. VI. dicens: *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* In simplicitate, ait, quia plerumque simplices sunt servi et hebetes, ac proinde egent directore. Unde recte Ecclesiasticus, cap. XXXIII. asserit servos similes esse debere asino, cum ait: *Cibaria et virga et onus asino: pacis et disciplina et opus servo.* Jam vero asini, quantumvis stupidi, docentur tamen usu ad nutum obedire domino. Hoc ergo præstent et famuli. Habuit certe tales centurio ille gentilis: *Dico huic; Vade*, inquit, *et vadit; et alii: Veni; et venit: et servo meo: Fac hoc, et facit*, Matth. VIII. Puto sane Christum hoc

insinuasse Petro, quando jussit eum ducere navim in altum, Luc. V. appellavit enim tunc non Petrum, sed *Simonem*. Ita enim Lucas ait: *Dixit ad Simonem: Duc in altum*: rursus quando ei oves suas commisit, ter appellavit eum *Simonem*: *Simon Joannis, diligis me? Pasce oves meas*, Joan. XXI. quasi diceret: Si vis esse pastor ovium mearum, esto Simon et obediens mihi.

Idem dicendum de discipulis respectu magistrorum suorum, sive artes litterarias, sive mechanicas discant. Ut enim bonis artibus expoliantur, obedire magistris debent: quomodo is, qui tondetur, quietus sedere, et caput in omnem versare partem, ad nutum tonsoris, solet: vel quomodo fabula pictori, aut lapis sculptori paret, ut imaginem effingatur; tametsi plurimos ictus sustinere et increpationes necesse sit. Hujusmodi fuit Achatius ille, dictus Innocentius, discipulus senioris cujusdam Sabbaitæ in Asia, apud Joan. Climacum, gr. IV. ubi Joannes Opanii Sabbaites ipsi recenset hæc: «Erat (inquit) in monasterio meo, quod ex in Asia (inde enim justus ille advenerat, senex quidam negligentissimus ac parum moderatus, quod non judicandi causa, sed veritati studens dico. Huic erat discipulus minor, Achatius nomine, quem nescio quo pacto sibi acquisierat, simplex quidem animo ac voluntate, sed sensu ac cogitatione prudentissimus. Qui tanta ab hujusmodi sene passus est, quanta (si referre voluero) plurimis forte videbuntur incredibilia. Non enim injuriis solum atque contumeliis, verum etiam verberibus eum quotidie afflicebat. Erat autem hæc illius tolerantia non sane irrationabilis. Ego igitur, cum illum quotidie, ut emptitium servum, suprema in ærumna degere aspicerem, obvians illi sæpissime dicebam: Quid est, frater Achatii? Quomodo tibi est hodie? Ille vero continuo, nunc quidem viventem tumidumque oculum, aliquando vero faciem fractam et cervicem, sæpe ictum caput ostendebat. Ego itaque sciens eum patientiæ operarium, aiebam illi: Bone, sustine viriliter, et proderit tibi. Cum igitur egisset annos novem sub immitti et acerbo tunc, migravit ad Dominum, sepultusque est in patrum cœmeterio. Post quinque autem dies abiit ad magnum quemdam illic senem Achatii magister, dixitque illi: Pater Achatius mortuus est. Quod cum audisset senior, respondit: Vere, senex, non id mihi persuades. Qui ait: Veni et vide. Continuo surrexit senex, venitque cum beati pugilis magistro ad cœmeterium. Clamavit, tamquam viveret, ad eum, qui vere in beata requie vivebat, dicens: Frater Achatii, putasne mortuus es? Tum vero gratus ille obediens, etiam post mortem obedientiam ostendens magno illi, ita de

sepulcro respondit: Et fieri quomodo potest, pater, ut moriatur homo obedientiæ deditus? Ea voce territus magister ejus, juxta tumulum discipuli cellam sibi struxit et penitentiam egit, crebro se accusans atque dicens: *Homicidium feci*.

V. Omnibus Christianis cujuscumque dignitatis aut status. Simones hi seu obedientes sint Ecclesiæ ejusque præceptis omnibus. Serio edicto et quasi peremptorio, mandavit hoc Paulus ad Rom. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: et ipse Christus Dominus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et Publicanus*, Matth. XVIII. idem Ecclesiam suam *ovile* appellat, Joan. X. quia vult ut fideles omnes sint oves, quæ vocem pastoris audiunt, imo unico pastoris sibilo reguntur et revocantur ad gregem (quod non faciunt boves, capræ, equi, porci); sequuntur etiam præcedentem pastorem, cum aliæ pecudes a pastore pone sequente agi, et scutica coerceri debeant. Quisquis ergo in Ecclesia esse vult, ovis sit necesse est. Audiant Christiani Basilium Macedonem, Græcorum imp. qui in Concilio VIII. œcumenico sic inter alia perorabat: *Quantæcumque religionis et sapientiæ laicus existat, ovis vocari non desinet.* Et cur, putatis, Christus quando in Judæa et Jerosolymis agebat, ordinarium suum diversorium in Bethania, vicino Jerosolymis loco, habuit? Quia nimirum *domus obedientiæ* exponitur, et Ecclesiam representat. Et cur bis ibidem legitur Christus accubuisse in domo Simonis Pharisæi (qui et leprosus dicitur)? Luc. VII. et Matth. XXVI. quia Simon *obediens* exponitur. Vult ergo Christus Ecclesiam, diversorium suum, esse *domum obedientiæ*: hospites suos et incolas ejus *Simones* seu *obedientes*; tametsi sint patresfamilias, principes et magistratus ac sapientes. Viderint ergo magnates illi, qui Ecclesiæ præcepta et prælatorum imperia parvi aut nihili aestimant, quasi ab eis exempti sint. Sane reperio etiam gentiles principes ac reges sacerdotum imperiis parere religiose solitos. Apud Æthiopum reges tanta erat sacerdotum auctoritas, ut si dicerent regum vitam diis invisam esse, illi sibi mortem conscirent; malentes sacerdotibus obediendo mori, quam diis invisis vivere, Diod. Siculus, l. III. de antiq. fabr. Turcarum etiam imperator in rebus gravibus utitur et stat consilio sui multum, qui est quasi summus ejus pontifex, uti notum.

Quare si recte rem expendamus, omnes, quotquot sumus vocari *Simones* debemus; spondimus enim in baptismo nos obedientes Ecclesiæ filios futuros. Delphini sumus et pisces et baptisimi aquis renati: *Simones* ergo *simus*, ad omnia

parati, prompti et morigeri propter nomen istud; nostremum vero propter nomen Dei.

CONCIO V.

INFERIORES NE DOMINENTUR SUPERIORIBUS.

I. Officiales aliqui. — II. Subditi aliqui. — III. Mulieres aliquæ. — IV. Filii aliqui. — V. Homines alii sæpe.

THEMA.

Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. Joan. XV.

Certus quidem et irrefragabilis est sermo Christi, cujus nos in hodierno evangelio meminisse jubet: *Non est servus major domino suo.* Quis enim est, qui hoc nesciat? Attamen hic tam verus sermo non ab omnibus observatur. Certe Salomon in Ecclesiaste, c. XVIII. ait: *Vidi servos in equis, et principes quasi servos, ambulantes super terram.* At quomodo hoc contingit? Quomodo non erubescunt servi? Nimirum ea causa est, quia non meminerunt sermonis, quem dixit Dominus: *Non est servus major domino suo.* Hujusmodi vero homines adhuc reperiemus, qui regulam hanc, quamvis luce clariorem, minime observant, uti videbimus.

I. Nunquamne contingit, ut officiales principum nimium ab eis ditati et exaltati insolescant; ita ut dominos suos spernant, iisdemque terrori sint? Sane inter infideles tales erat Felix et Pallas, servi Claudii Cæsaris, qui ab eo adeo locupletati atque eveci fuerunt, ut eo causante inopiam fisci, vulgo diceretur: *Curaret se ab eis adoptari in hæredem.* Quamobrem iis addictus, non principem sed ministrum agebat, illique pro libitu imperii omnia administrabant ac turbabant, Cuspin. et Fulgentius, ex Dione et Suetonio. Pari ratione Eutropius servus Arcadii imperatoris, eunuchus et gentilis, in tantum exaltatus fuit, ut in eum potius quam in imperatorem omnium oculi conversi essent; ipseque potentie sævitiam miscens, omnia perturbaret, Baron. anno Christi 390. Quare a furente populo ad necem postulatus, confugere ad ecclesiam coactus, ibi a Sancto Chrysostomo, oratione, cujus exordium est: *Vanitas vanitatum et omnia vanitas,* defensus est. At hoc certe indignissimum est: *Non enim est servus major domino suo.* Confirmat apostolus Petrus, in epistola I. capite II. *Servi subditi estote in omni timore domini, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis, hoc est, fastidiosis et asperis.* Quare Salomon, Prov. XXXVI. de hoc ait: *Per tria mo-*

vetur terra, et quartum non potest sustinere: per servum cum regnaverit; hoc primum, quod ultimum seu quartum: Per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ: seu ut vertunt Septuaginta, serva cum dominam suam ejecerit. Movent isti terram, qui turbant totam liliam; sicuti aer et venti, quia ex natura sua terra altiores sunt, in terræ cavernis inclusi, cum violentia erumpunt, terram concutiunt, et alicubi dirumpunt, pestilentique acre vicinas regiones inficiunt ac perterrent. Id vero imprimis indignum et intolerabile est; denique periculosum ac perniciosum, cum servi et ancilla magis ducentur passione quam ratione, suique impotentes sint. Hinc queritur contra servum suum Sibam optimus dominus Miphiboseth; qui exultanti Davidi occursurus, non potuit obtinere a servo suo Siba, ut sterneret sibi claudo asinum. Quinimo servus, contempto domino, cum duobus asinis commeatu onustis, utique ex bonis domini sui, occurrit ipse regi et accusavit herum suum, quasi insidiaretur regno Davidis. Cui facile nimis credens David, donavit bona Miphiboseth, III. Regum XVI. et IX. Sic et Agar cernens se fecundam, contempsit dominam suam, Saram scilicet sterilem; unde lis in domo, donec ancilla egeretur, Genes. XVI. Sæpe etiam videtur est servos usque ad multam lucem stertere, dominis vigilantibus: sibi optima quæque vini vel cibaria suffurari, domino deteriora apponere: ancillas plus valere apud heros, quam proprias conjuges. Quæ sane indigna sunt, et terram movere deberent.

II. Nunquamne contingit, ut subditi rebellent, ac sese opponant dominis suis, imo et arma contra eos sumant, vel iis saltem obloquantur? Vidimus nostro ævo non semel tales rebelliones: sed qui placuerunt Deo? *Nonne est servus major domino suo,* ait Dominus. Et Sanctus Petrus, ubi supra: *Deum time, regem honorificate:* et Paulus ad Rom. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt;* quasi diceret: Qui se opponunt magistratibus, invertunt ordinem rerum a Deo præscriptum, militem gregarium faciunt imperare duci militie, perdentque exercitum: invertunt corpus humanum, supra manus ambulant et oculos humo fixos gerunt, pedes in altum erigunt; qualis hæc ambulatio? Qualem utique vidit cæcus ille necdum omnino illuminatus a Christo, cum dixit: *Vidi homines velut arbores ambulantes,* Marci VIII. Subditi, quia cæci ut plurimum sunt, infra esse debent, velut pedes: magistratus, quia oculati,

supra, velut oculi, ut corpus dirigant; alioquin sibi exitium creant qui aliter incedunt. Sed quid, si mali et iniqui sint, injusta imperent, gravissima onera imponant, rempublicam evertant, contraria Deo jubeant? Onera potius omnia ferenda, injuriæ quoque; peccata tantum non facienda, sed moriendum potius. Præstat mori in causa justa et innocentem, quam superiori rebellare. Habuit David iniquum sibi infensissimum dominum, Saulem, a quo dura omnia et mortem sibi imminere noverat; nihilominus tamen cum ab eo ad mortem quereretur, ipsumque in manibus haberet, juxta prædictionem Dei, quod vellet eum tradere in manus ejus, noluit ei vim inferre; insuper repressit milites suos, necem ei machinantes: *Propitius sit mihi Dominus,* ait, *ne faciam hanc rem domino meo, et mittam manum meam in eum,* I. Reg. XXIV. Cumque iterum quæsitus in manu sua illum haberet, non tantum non læsit, sed: *Vivit Dominus,* inquit, *quia nisi Dominus percussisset eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in christum Domini.* Sed quid si pergat te prosequi? *Vivit Dominus, quia non extendam manum meam in eum.* Quid si occidere te, et tormentis excruciare tentet? *Vivit Dominus, quia non extendam manum meam in eum.* Quid si te proscribere, familiam tuam exterminare, regnum Israel evertere, innocentes omnes perimere? *Vivit Dominus, etc.* Vere magnus, qui mori potius paratus fuit, quam dominum suum offendere; nimirum quia rebelles non solum ordinarie male pereant, sed etiam damnationem æternam incurunt.

III. Nunquamne accidit, ut imperiosa mulier marito suo dominetur? At: *Non est servus major domino suo.* Quare prudens illa Abigail postulata a Davide in uxorem, dixit: *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei,* I. Regum XXV. et Sara appellat Abrahamum dominum suum, Genes. Beata Virgo præfert sibi sponsum: *Pater tuus et ego,* Luc. Sancta Monica: *Serviebat marito suo quasi domino,* ait Sanctus Augustinus, libro IX. conf. capite IX. *Quævis pudica mulier est serva,* ait Euripides, apud Clemen. Alexandr. lib. IV. Strom. Quamquam mihi videtur iste nimium dixisse, mediam viam tenendam: non enim ex pedibus, sed ex latere viri mulier facta est; ut mulier nec serviat nec regnet, sed viro quidem subdita sit juxta primævam Dei institutionem: *Sub viri potestate eris;* tum quia sexus infirmioris est et invalidioris consilii: tum quia magis subjecta passionibus et sui impotentior quam vir. Patet in Semiramide, Nini Assy-

riorum regis conjuge, quæ videns regem amore sui captum, petit quinque tantum dierum imperium. Quo concesso, primo die convivium instituit principibus et proceribus; quos ubi sibi devinxit, altero die, tentatis ad imperia satellibus, jubet virum vinciri, vinctum in custodiam compingi, ubi eum usque ad mortem tenuit, Diodorus, libro II. capite V. Quare Ecclesiasticus, cap. XXV. ait: *Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo, id est, rebellis et hostis,* Græce habetur: *Mulier si choram ducat, id est, si choraga sit et præcentrix.* Neque id turpe solum, sed etiam perniciosum est. Unde Augustinus, de catech. rud. ait: *Cum femina dominatur in virum, misera et perversa domus est.*

IV. Nunquamne contingit, ut filio dilecto omnia ad nutum concedant et permittant parentes? Itaque talis filius imperabit suis parentibus. Sic fassus est Themistocles, dux Atheniensis, Athenienses dominari Græcis, se dominari Atheniensibus, uxorem sibi, filium uxori, sicque filium suum dominari toti Græciæ: atqui: *Non est servus major domino suo.* Filii suo modo parentum servi sunt, ut testatur Ecclesiasticus, capite III. dicens: *Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* Est enim filius possessio parentum, quia vitam ab eis accepit. Unde Eva primum filium suum appellavit Cain, id est, *possessionem;* dicebat enim: *Kaniti, id est, possedi hominem per Deum.* Quare in necessitate parentes possunt vendere liberos in servos, ut colligitur Exodi XXI. versu VII. Sic Isaac serviit patri Abrahamæ, cum fascem lignorum ab esibi impositum portavit: sic Alphonsus Aragonum rex patri Ferdinando obviam progressus, equo desiliit, et pedibus eum comitatus est; ut si opus foret, humeris suis lecticam ejus sustolleret. Cumque a lectica pater identidem hortaretur, ut exemplo procerum juxta adequitantium ipse quoque equum ascenderet: *Alii, pater, ait, quid ad se attineat, ipsi viderint. Ego quidem adduci nequiquam potero, quin regem, quin patrem, eumque ægotum, pedibus sequar,* Panormitan. libro II. comment. de rebus ejus gestis. Quid igitur dicamus filiis, qui parentum voluntatem suam esse volunt? Nonne illis imperare attentant? Quid parentibus, qui id tolerant? Nonne filiis servire volunt? At quam hoc absurdum! Audiamus quid dicat Jacob, quando audivit filium Joseph narrantem: *Vidi per somnium solem et lunam et stellas undecim adorare me.* Ait enim: *Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram,* Genes. XXXVII. Recitaverat ille prius somnium undecim manipulis fraternis se adoraturis; nec

ob id correptus a patre fuit. At ubi narrat se a parentibus etiam adorandum, ibi rei indignitate motus pater, increpavit ejus puerilem audaciam, quasi diceret. Cave ne unquam hoc tibi in mentem, mi puer, veniat: trade potius oblivioni visiones istas, ut ait Philo, libro de Josepho. Male cedit parentibus æque ac filiis tam inordinatum imperium. Andronicus junior, Michaelis filius, avo Andronico seniori ita charus fuit juvenculus, ut ne noctu quidem illius absentiam ferre posset. Adolescentiam egressus, libidini habenas laxavit, et avo parce sumptum præbente, æs alienum ingens contraxit, tandemque per conjuratos avum imperio deturbavit, Gregoras, lib. VIII. Ingratus scilicet oculus; hic enim ab aliena matre nutritus et præ cæteris pullis amatus utpote grandior, post ubi adolevit, ipsam matrem devorat, Aldrov. libro V. ornith. cap. XVII.

V. Nonne sæpissime contigit, homines fieri impatientes ob paupertatem, contemptum, opprobria, adversarios, morbos, afflictiones; ita ut irascantur, insaniant, desperare velint? *At non est servus major domino suo.* Nonne hæc omnia Christus Dominus noster sustinuit? Et hoc potissimum tendit sermo Christi, ut ipsius exemplo hæc omnia toleremus. Non fuit aliquando memor hujus sermonis S. Petrus martyr Dominicanæ familiæ, visæ cum hoc erant aliquando tres cælo lapsæ virgines in cubiculo loquentes. Delatus ergo est ad superiorem, quod nescio quas mulieres in cellam admisisset. Id cum Petrus non negaret, et magnum se peccatorem fassus, cælestes hospites silentio tegetet, ad Esinum cœnobium relegatus est. Ibi cum nocte quadam in templo coram Crucifixi imagine suum tristes se-

cum dedecus animo agitans, amice Christo conqueretur: *Quare, bone Jesu permittis ut tanta ignominia servus tuus innocens afficiatur?* Christum audivit de cruce respondentem: *Et ego, quid feci, ut tantis onerarer opprobriis, et morte turpissima condemnarer? Ex me discæ opprobria et ignominiam patienter tolerare.* Refert Doultreman. in pædag. christ. p. I. cap. VIII. § III. Memor e contra fuit S. Martinus, qui cum inter suos discipulos haberet unum Bricium nomine, qui ipsi sancto sæpe insultabat, cæli suspicem et fanaticum appellabat, gestaque ejus carpebat; Martinus tamen patienter omnia ferebat, dicens: *Christus Judam toleravit in suo collegio et mensa: cur ego non tolerem Bricium?* quasi diceret: *Non est servus major suo domino,* Martinus Christo, Sulpit. in ejus vita. Ac ne putetis hoc sanctorum tantum et religiosorum esse, audite quid homo sæcularis egerit, Lambertus consul Harlemensis a tumultuantibus Calvinistis, quod Romanæ Ecclesiæ auctoritatem defenderet, in vincula conjectus, et tandem patibulo adjudicatus. Id enim cum a longe intueretur: *Quid, inquit, eximescimus lignum? Etenim si olim Dominum gloriæ crucifixerunt, quid nobis ejus servis expectandum? Anne major dominus servo suo?* Refert p. Opmerus; in martyrol. Holland. ms. Denique, hujus verbi Christi memores apostoli Dominum suum per varia martyria secuti, lapidati sunt, secti sunt, crucifixi, excoriati, contus et fustibus contusi sunt, quia: *Non est servus major domino suo.* Hujus ergo verbi simus et nos memores, et conformemur nos Domino nostro in Ecclesia militante, ut conformes ei simus in triumphante.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

EVANGELIUM. MATTH. V.

In illo tempore, videns Jesus turbas, ascendit in montem: et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum, docebat, eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur: beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: beati pacifici, quoniam filii Dei vocabantur: beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cælorum: beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

CONCIONES.

- I. Octo gradus beatitudinis.
- II. Unde colligatur cælestis gloriæ magnitudo.
- III. Gaudia beatorum.
- IV. De gloria sanctorum, quam in terris habent.
- V. Sancti cur honorandi.
- VI. Quid debeamus sanctis imprimis Ecclesiarum patronis.
- VII. Desiderium cælestis patriæ accenditur.
- VIII. Immundi homines qui cælo excluduntur.
- IX. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Octo beatitudines distribuuntur in varios.
- II. Merces beatorum in cælis quanta.
- III. Quales cæli cives.
- IV. Octo beatitudines totidem signa prædestinationis.
- V. Fructus hujus festi.

CONCIO I.

OCTO GRADUS SCALE COELESTIS, PER QUAM AD SANTITATEM ET BEATITUDINEM ASCENDITUR.

- I. Beati pauperes. — II. Beati mites. — III. Beati qui lugent. — IV. Beati qui esuriunt. — V. Beati misericordes. — VI. Beati mundo corde. — VII. Beati pacifici. — VIII. Beati qui persecutionem, etc.

THEMA.

Beati pauperes spiritu, etc. Matth. V.

Genes. XXVIII. vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens cælum, angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo et semini tuo, etc. Scala hæc, inquit, Ter-*

tullianus, in fine. l. III. contra Marcionem, *est via, qua justi ascensiones in corde suo disponunt in cælum, idque insinuat Spiritus sanctus, Sap. X. ubi de hoc Jacobo et hac scala ait: Hæc profugum ira fratris justum deduxit per vias rectas et ostendit illi regnum Dei.* Gradus hujus scalæ virtutes sunt, per quas homines de terra ad cælum, de creaturis ad creatorem ascendunt, quas in hodierno evangelio proposuit Dominus. Latera hujus scalæ quibus nituntur et compaginantur virtutes, sunt fides et spes: per illam firmissime creditur, quidquid Christus de his virtutibus earumque præmiis edixit: per hanc speratur adimpletio earumdem promissionum. Angeli ascendentes et descendentes in ministerium missi sunt propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, ut eos per varia media adjuvent et promoveant in via cæli, ne labantur, impingant, subsistant, decidant: sed eos deducant, illis consulant et in omnibus gressibus eos